

*rius occupavit. Pluribus etiam testibus approbare poterimus, quod nemo nostris temporibus natu, ingenio, fortitudine et audacia, statura quoque totaque corporis elegantia fascibus aptior videretur imperialibus. Pre omnibus regni sui ecclesiis Spiram maxime coluit, eamque regio et mirifico opere et honore ampliavit, ibi etiam nunc iuxta maiores suos presente filio suo cunctisque regni principibus honorifice humatus requiescit.*

*munioni catholicę subiciuntur. Leodicensis autem Otbertus ceterique coepiscopantes hac inter cetera recipiuntur in communionem penitentię conditione, quo cadaver ipsius excommunicati per se pridie in monasterio tumultum effoderent et absque ulla sepulture vel exequiarum communione in loco non consecrato deponerent comprobantibus his qui aderant archiepiscopis et episcopis, quia quibus vivis ecclesia non communicat, illis etiam nec mortuis communicare possit. Quo facto paulo post corpus ipsum Spirensi civitati est in sarcofago lapideo regis consensu delatum, sicque extra ecclesiam ibidem per quinquennium (per aliquot annos E) mansit inhumatum. Hic finis, hic interitus hecque sors ultima Heinrichi illo sub vocabulo IIII Romanorum imperatoris a suis appellati, a catholicis vero, id est cunctis beato Petro suisque successoribus fidem et obedientiam lege christiana conservantibus archipirata simul et heresiarcha nec non et apostata persecutorque plus animarum quam corporum competenter dicebatur, utpote qui nec naturalibus nec consuetudinariis contentus sceleribus nova et a seculis inaudita ideoque nonnulla incredibilia excogitasse et exercuisse infamabatur. Quę si quis illorum arbitratus, qui tam perperam quam recte ab imperatoribus gesta litteris digna iudicant, scribere velit, nos loco cedimus, maxime cum aliqua*